Si enim tunc Jerosolymam accepissemus cum istis conditionibus, quibus eam Soldanus tradere voluit, hodie in manu nostra esset et sanctum sepulchrum liberum.

Anno Domini 1223. rex Jerusalem Johannes, dolens ex amissione Damiatae et plus ex amissione totius regni Jerosolymitani, quod habitum in manu renuerunt accipere, composito statu, prout poterat, civitatum in Syria, transfretavit ad partes occidentales a Romana ecclesia et principibus Christianorum petiturus auxilium. Veniens autem ad Papam Gregorium, hujus nominis nonum, invenit eum satis afflictum et molestatum a Frederico II. imperatore. Rex ergo Jerusalem ambos, Papam et imperatorem, concordavit et ad confirmandam reconciliationem ipse Gregorius dedit Friderico in uxorem filiam unicam saepe dicti Johannis regis Jerusalem et imperator promisit ipse, in propria persona transfretare in Syriam ad recuperandam terram sanctam. Nuptiis ergo in urbe solennissime celebratis rogavit rex Jerusalem imperatorem, ut exercitus suos medio tempore aptaret, quousque ab occidente remaneret. Et profectus rex in Hispaniam limina S. Jacobi apostoli visitavit et ibi filiam regis Galiciae uxorem duxit et transfretavit in Angliam, ubi a rege et a baronibus multa donaria in subsidium terrae sanctae accepit. Eodem tempore Philippus rex Franciae ad extremum vitae veniens inter caetera condens testamentum regi Jerosolymitano Johanni centum millia thalerorum Parisiensium in subsidium terrae sanctae legavit et totidem Templariis et totidem Hospitalariis.

Successit autem Philippo in regno Ludovicus filius ejus, qui Rhemis coronatus, in qua coronatione interfuit Johannes rex Jerusalem. Aliquibus autem annis transactis, cum jam per Papam Gregorium esset praeparata classis ex multis nationibus hominum, dirigenda in Syriam contra hostes crucis, requisivit imperatorem super promissione facta de transfretando in subsidium terrae sanctae, qui cum grandi exercitu junctus est exercitui Papae et ex Brundusio Apuliae per mare iter assumserunt imperator et legatus Papae.

Sed dum paululum per mare processissent jussit imperator reverti classem suam in Apuliam, cum qua reversus scandalum magnum et damnum Christianitati fecit, propter quod

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;